



LIBER II. LOGICAE DE JUDICIO ET PROPOSITIONE.

P A R S I. D E J U D I C I O.

C A P U T I.

D E N O T I O N E E T V A R I E T A T E J U D I C H.

§. I.

De varia bujus vocis significatione.



Judicium a variis varie accipitur : Ac , nequid de multiplice sensu dicam , quem vox haec apud juris Consultos haber , vel ab ipsis etiam Philosophis ad diversa significanda solet adhiberi ; judicium namque Philosopho facultatem modo animae ; ejus vero adfectionem , aetualmem , inquam ejus cogitationem modo significat . Quare , priusquam ad expoen das

das judicij proprietates transgrediamur, ejus ante notionem, in quantum id quidem fieri possibile est, adcurate determinandam esse, duximus. Sit igitur.

§. 2.

Judicij genesis describitur.

Judicij, quod pro actu, seu pro actuali mentis affectione hic accipimus, sequentem esse genesis facile intelligitur, quodsi ad ea, quae intra nos contingunt, quando judicare dicimur, adtendamus, eaque reflectendo singula adtente percurramus: nimirum 1. duae menti ideae occurunt. Ubi adverte, ideas illas non semper ejusmodi esse opportere, ut illis objecta vere, seu, ut scholae loquuntur, realiter inter se distincta respondeant: sed sufficit, dummodo per mentem illa saltēm distinguantur. 2. Ideas illas ad invicem mens refert. Ex qua earum ad invicem relatione seu comparatione mutua 3. eas inter se vel convenire vel pugnare deprehendit seu cognoscit. Cui cognitioni si tandem 4. interne mens adnuit, adquiescit, aut quoconque demum vocabulo ad exprimendum illum mentis adsensum, seu adprobationem internam con-vel disconvenientiae inter ideas cognitae uti quis velit, judicare dicitur.

§. 3.

In quo consistat judicium.

Judicium igitur, quod ex dictis colligitur; in solo illo mentis adnuto, qui cognitam inter ideas adinvicem relatas con-vel disconvenientiam subsequitur, consistit: & caetera non nisi ad illud re-qui-

quisita esse intelliguntur. Atque ad determinandam judicij notionem ista interim sufficient , donec accurata & logicae regulis conformata ejusdem definitio a quodam producatur , in qua condenda inaniter hucusque plures laborarunt.

§. 4.

Quid per judicium alii intelligent?

Non desunt tamen , qui judicium cum ipsa perceptione seu cognitione con-a ut disconvenientiae inter ideas confundunt : atque inter hos Vir est de re logica caeteroquin valde meritus Vernejus qui *L. 3. de re logica P. 1. Cap. 1.* ita ait : *ha-beam ideam bovis & ideam canis : referam unam ad aliam, & intelligam ideam bovis esse maiorem, id est, repraesentare aliquid majus, quam ideam canis. Cognitio, qua animadverto ideam bovis esse maiorem idea canis, judicium vocatur.*

§. 5.

Quid de sententia hac censeamus?

Verum sententia tamen ista, utut Virorum clariſſimorum est , nobis non placet , eamque vel sola ratione ſequenti persuasi rejicimus ; quia, ſi verum eft , quod dicta ſententia arguit, vana eft & inanis lex adeo decantata & vel ab ipsis etiam, quorum iſta ſententia eft, ceu primum aptiſſimum que ad evitanda judicia falſa remedium depraeedita: quod *in confuse ſolum cognitis adſenſum ſive judicium* (niſi tamen, quod non ſperavero , aliud adſenſum illum, & aliud eſſe judicium tricari quis velit) cohibere tamdiu debeamus , donec *diſtincte* *deſum*

demum cognoscantur. Qua enim, quaeſo! ratione judicium ſuum in confufe ſolum cognitis uſpendere quis potest cum per ipſam cognitionem jam adſit judicium; niſi forte cognitionem modo diuineſtā, non aequē confuſam con- aut diſconvenientiaē inter ideas judicium eſſe, Adversariorum aliquis praetendat. Quo ad dandam diſparitatis rationem ſemet obligabit, quam expectabimus, ſed ſufficientem.

§. 6.

*Quid ſentiendum fit de quaeftione inter Philosophos
controversa: judicium an ad intellectum, an
vero ad voluntatem pertineat?*

De judicio inter Philosophos controvertitur: ad quamnam animae noſtræ facultatem, an ad intellectum, an vero ad voluntatem pertineat. Quam quaeftionem, licet inanem illam & ſine uſu non eſſe, periuafum nobis habeamus, in logica tamen praepoſtere moveri exiſtimamus, utpote quae ex principiis demum psychologicis ſatis dirimi poſſe, conſtat.

§. 7.

*Judicium in adfirmativum & negativum
bene diuiditur.*

In ſolo quidem ac indiuiſibili mentis adnūtu judicium, ſicut dictum eſt, conſiſtit. Adnuere tamen poſſumus vel cognitae inter ideas conuenientiae, vel cognitae inter eadē pugnae ſeu diſconvenientiae. Judicium inde in adfirmativum & negativum nec immerito diuiditur ita, ut adfirmativum dicatur judicium, in quo cognitae inter ideas

CON-

convenientiae interne adnuimus ; in quo vero cognitae inter eas pugnae seu disconvenientiae adnui-
mus, negativum vocetur.

C A P U T II.

DE VERITATE LOGICA JUDICII, ET DE ERRORE EI OPPOSITO.

§. 1.

Cur, & in quantum de veritate hic agatur?

Inter proprietates judicii, quas logica adtendit, praecipua est veritas. Hinc, quanquam habita ordinis ratione de veritate in quarto pri-
mum hujus operis libro disputare, nobis sit pro-
positum, ubi cogitationibus simul ad verum diri-
gendas regulae praescribentur : hic tamen quasi per transennam pauca quaedam eaque magis ge-
neralia, in quantum judicii veritatem spectant, ex-
planabimus, caetera magis specialia ad dictum jam
librum quartum adhuc differentes.

§. 2.

Veritas quid & quotuplex?

Veritas in genere per conformitatem, conve-
nientiam eorum, quae simul esse perhibentur,
solet definiri ; & quadruplex in scholis nec imme-
rito distinguitur : metaphysica scilicet, physica, lo-
gica & moralis. *Methaphysica* in conformitate,
convenientia determinationum seu notarum alicu-
jus

jus essentialium, ex quibus illud nostro saltem concipiendi modo constituitur, consistit. *Physica* habetur, si qualitates, quae per nomen, quo exprimitur, significantur, alicui re ipsa insint. Sic verum dicitur aurum, si qualitates, quae per nomen istud denotantur, eidem vere seu re ipsa insint. *Logica* conformitatem cogitationum cum re cogitata denotat. *Moralis* per conformitatem seu convenientiam locutionis cum cognitione sollet definiri.

S. 3.

Judicium quod, & quando verum sit?

Ante, quam ad quaestionum hic propositam respondere monendum esse ducimus, de veritate solum logica judicij hic nobis sermonem esse. Quo monito praemesso judicium verum esse dicimus, in quo & quando ea, quae inter se re ipsa convenient, convenire, & quae disconvenient, disconvenire, quis judicat. Nec ad veritatem judicij logicam sufficit, ut quis judicet ea convenire, quae convenire ipsi videntur & quae disconvenire videntur, disconvenire judicet. Et enim vel inter ea quoque, quae vel maxime inter se pugnant, convenientia, & inter illa, quae convenient, pugna non raro dari videtur; praesertim si confuse solum cognita fuerint.

S. 4.

*Judicium quod, & quando falsum sit?
quid error?*

Ex his porro liquet, quid, & quando judicium sit falsum? judicium nimis rurum falsum est, quiescunque ea, quae convenient, disconvenire,

&

& , quae disconveniunt, convenire, quis judicat.
Judicium quocunque logice falsum error est.

§. 5.

Quaestiones quaedam scholasticorum de judicii veritate.

Scholastici more suo quaestiones non paucas de veritate judicii agitare consueverant : ex quibus duas hic solum adducimus sequentes : quaerent scholastici 1. an veritas actui judicativo sit essentialis ? 2. an unum judicium possit esse verius altero ? Atque ad ultimum communiter reponebant, judicatum unum posse altero verius esse intensive, non autem extensive. At cui vel audire ista naufragia non creari, aut bilem non movere ?

C A P U T III.

DE FONTIBUS ERRORUM IN JUDICIIS OCCURRENTIUM.

§. I.

Errores quam frequentes sint ? cur de eorum fontibus agatur ?

Judicium quocunque falsum errorem esse, modo meminimus. Unde, quam varia in omni serie scientiarum ac artium genere judicia falsa occurrent, occurront autem quam plurima; quot enim ab aliis ceu certa ubique jactantur, quae alii ne verosimilia quidem existimant, & non raro, quod

I falsa

falsa sint, demonstrant; tam frequentes esse errores constat. Hos vero errores seu eorum potius fontes perspectos habeamus, oportet, nisi in similes saepius errores prolabi nobis sit perinde, esse autem non debet.

§. 2.

Quotuplicis generis sint errorum fontes?

Et quanquam varii sint ac quasi innumeri errorum fontes; ad duo tamen capita seu classes apte omnes revocari possunt ita, ut proximiores alii, alii remotiores appellentur.

§. 3.

Errorum fontes proximiores quinam sint?

Errorum fontes proximiores jure merito esse dicuntur ignorantia, & mentis in judicando praecipitania. Ex duobus his fontibus errores quoscunque promanare, facile deprehenditur: erramus enim judicando, vel illa inter se convenire, quae disconveniunt, vel disconvenire, quae vere conveniunt §. 4. Cap. praeced: jam vero quae causa utriusque alia est, quam & ignorantia, & mentis in judicando praecipitania? Et certe, si ignorantia primo non laboraret mens nostra, si ideas rerum distinctas, completas, ac determinatas haberemus, si cuiusque determinationes sufficienter cognosceremus; non utique inter se convenire nobis viderentur, quae tamen disconveniunt, nec disconvenire, quae inter se vere conveniunt; sed vere semper con- aut disconvenientiam perspicceremus. Sed & quod de objectis non satis cognitis, quorumque proinde con- aut discon-
venien-

venientiam nondum perspicimus, nihilo tamen minus judicare praesumimus, quid aliud est, quam mentis in judicando praecipitantia?

§. 4.

Ignorantia isthaec quanta sit?

Et ista quidem ignorantia, quam in infante recenter nato pene omnigenam esse jam supra L. 1. p. 1. Cap. 5. §. 3. meminimus, per omnem exinde vitam in hominum mentibus dominatur adeo, ut eam minuere quidem possit, extinguere non possit homo.

§. 5.

Errorum fontes remotiores.

Remotioribus errorum fontibus jure adnume- ratur, quidquid vel ignorantiam auget, aut impedit saltem, quo minus eam minuere possit homo. Qualia sunt omnes defectuum in cognitionibus nostris causae supra L. 1. p. 1. Cap. 5. a nobis adsignatae; vel mentis in judicando praecipitantiam nutrit; veluti sunt nimia seu in nobismet ipsis seu in aliis etiam confidentia, opiniones praedicatae &c.

§. 6.

Vocabulorum abusus multorum errorum fons.

Inter fontes errorum remotiores praecipios, vel, ut melius dicam, summe perniciosos est vocabulorum abusus; quot enim judicia falsa & errorea inde promanant, aut quod homines longe

quid aliud sub vocibus sibi cogitent, quam illae revera significant; aut quod earum saltem significata ex parte solum, & non satis complete & determinate cognoscant.

§. 7.

Generalia contra errores remedia.

Ex his, quae dicta sunt, difficile non est colligere media saltem generalia, quibus erroribus sit obviandum. Ac primo quidem, ut ignorantia minuatur, rerum cognitiones in nobis perficiantur. Ut vero mentis in judicando praecipitania refrenetur, errores, in quos illa seducti prolapsi sumus, adtenta mente recogitentur. (vix tamen aliter de corrigenda illa mentis in judicando praecipitania sollicitus quis erit, nisi postquam errores per illam admissos sincera mente recogitare & execrari incepit) Regulam, quod nisi de distincte cognitis secure unquam judicare quis possit, alte menti imprimum: & ita non nostras modo cognitiones, sed & aliorum quoque sensa in tantum suspecta habeamus, *ut plenum nunquam nisi distincte cognitis assensum praebeamus.*

§. 8.

Quam id ad deponenda praejudicia necessarium fit? ubi simul, quid praejudicium fit, exponitur.

Et istud quidem, quod si ad evitandos quoscunque errores conduceat, sicut omnino conductit, ad deponenda praeprimis praejudicia necessarium est adeo, ut sine eo nec spes sit, fore, ut aliquis praejudicia sua unquam deponat. Est vero praejudicium

dicum judicium quoddam anticipatum , quod vel a nobis ipsis ex confusis sensuum representationibus L. 1. p. 1. Cap. 5. §. 6. & affectibus inordinatis formatum est , vel ab aliis formatum absque examine & sine distincta objectorum cognitione ob eorum solum auctoritatem a nobis admissum fuit.

§. 9.

Quam perniciosa sint praejudicia?

Quanquam igitur non omne quidem praejudicium continuo sit, esse tamen potest, imo plerumque error est. Hicque eo perniciosior, quo praejudicia difficilius deponuntur, ac veritati, praeferunt si universaliora fuerint, ad mentem aditum praecludunt: quemadmodum id pulchra similitudine declarat Malebranch: *de inquirenda veritate: praejudicia (ait ille) sunt humanae menti id, quod Principum ministri sunt ipsis Principibus.* Quemadmodum illi a Dominorum suorum conspectu arcet omnes, qui pro ipsis non stant, vel qui eos deturbare possunt; ita praejudicia impediunt, quo minus homo in eorum cognitionem inquirat, quibus distincte cognitis sua deponere praejudicia coheretur.

§. 10.

Quantum pondus praejudiciis addere soleant vulgi opiniones?

Praejudiciis , quae ex vulgi opinionibus non raro hauriuntur, hae ipsae vulgi opiniones summum exinde robur addere solent. Quot vero dentur tales vulgi opiniones, quas , si vel leviter solum discutiantur, mera praejudicia, pudendos in-


quam errores esse, deprehenditur, nemo facile potest ignorare. Lubet hic aliquas saltem enarrare. Sepas ajunt Feste S. Benedicti satas crassas fieri, divum Christophorum Patronum esse thesaurorum; quorum alii daemonem custodem esse dicunt. Sagas per angustos vitri poros, vel tenuia saltem voramina transire, & scopis suis per aera ad loca remotissima cito volare, has ipsas se in feles, aliaque animantia bruta & ex his in homines rursum commutare, credunt. Quae figura, utut absurdā sunt, adeo tamen sacrata habet vulgus, ut, si eis refragari volueris, sciolus forte vel apud eos quoque eruditos audias, qui vulgi opinionibus plus aequo adhaerent.

§. II.

Praejudicia quo modo deponenda sint?

Ad deponenda tandem praecordia praeter legem supra §. 7. adsignatam necesse est, ut quis opinione, quae unde & quando mentem primum subierint, sibi conscius non est, suspectas habeat, easque ad rigidum examen revocet: ideas omnes praesertim magis compolitas (circa tales enim praecordia versari plerumque solent) probe resolvat, ut ita earum con- aut disconvenientiam distincte perspicere, & errorem, si quis admissus fuerit, possit corrigere.





LIBRI II. LOGICAE

P A R S II.

DE PROPOSITIONE.

C A P U T I.

DE NOTIONE , PARTIBUS , ET VA-
RIETATE PROPOSITIONIS.

§. I.

Propositio quid?



Sicut ideas nominibus , ita propositio-
nibus judicia exprimimus. Unde pro-
positionem non pauci, recentiores prae-
cipue definient, quod sit *oratio exprimens*
judicium. In scholis tamen communiter
definiri solet *propositio*, quod sit *oratio unum*
de alio immediate enuntians. In qua definitione

vox immediate idem ac sint respectu ad præcedentia quaedam significat, ut ita ab argumentatione differat & discernatur propositio.

§. 2.

Propositionis partes. Extrema propositionis quænam dicantur? Quid copula?

Ex definitione propositionis data liquet, ad propositionem quamecumque tria, ex quibus illa seu partibus constat & componitur, necessario requiri, unum scilicet, de quo enuntiatur, & subiectum dicitur, alterum, quod enuntiatur, & praedicatum vocatur, & tertium denique, per quod enuntiatur, & copula audit. Subjectum & praedicatum propositionis ejus extrema seu termini vocantur. Copula esse nequit nisi verbum substantivum *sum* in modo indicativo.

§. 3.

Tria ista an tribus semper vocabulis exprimenda fint?

Necessè tamen non est, ut tria ista tribus semper vocabulis exprimantur. Dantur contra propositiones, quæ duobus, imo quæ unico solum vocabulo constant v.g. ista: *pluit*. Quod tamen ejusmodi esse oportet, ut tria illa complectatur, & ita in illa resolvi queat, quemadmodum *pluit* resolvi potest: *pluvia est cedens*.

§. 4.

De quantitate & qualitate propositionis.

Inter alia circa propositionem observanda, primo loco nobis veniunt quantitas & qualitas. Illam uni-

universalitas & particularitas constituant; haec duplex esse dicitur, primaria scilicet & secundaria. Per primariam adfirmatio & negatio, veritas & falsitas per secundariam denotantur. Ex quantitate & qualitate primaria quatuor propositionum species diversae enascuntur, universalis scilicet adformativa, universalis negativa, particularis adformativa, & particularis negativa, quas litteris sequentibus A. E. I. O. indicant Dialectici ita, ut A propositionem universalē adformativam, E universalē negativam, I particularem adformativam, & O denique particularem negativam designet juxta sequentes versus:

Adserit A, negat E, verum generaliter ambo.

Adserit I, negat O, sed particulariter ambo.

§. 5.

Propositionis quantitas unde aestimanda? an ex sola terminorum relatione? quid propositio indefinita?

Sunt, qui propositionis quantitatem ex sola terminorum, praedicti scilicet ad subjectum relatione aestimandam esse dicant adeo, ut propositio universalis & adformativa quidem sit, quoties praedicatum subjecti determinatio intrinseca essentialis est, adeoque necessario eidem convenit: universalis contra negativa, quando praedicatum subjecto repugnat, & ei proinde haud quamquam convenire potest. Primam in materia necessaria, in materia impossibili alteram in scholis vocant. Propositio contra particularis ex eorum sententia est, quando praedicatum subjecti determinatio solum extrinseca, accidentalis est, ac ei proinde & con- & disconvenire potest. Propositio in materia

contingenti seu possibili talis in scholis dicitur. Vero tamen haec regula non obtinet nisi de propositionibus, quarum subiecto signum nullum est praefixum, quaeque indefinitae ideo vocantur. Propositionis autem definitae quantitas ex signo subiecto praefixo aestimanda est.

§. 6.

Qualitas propositionis unde aestimanda sit?

Propositionis vero qualitas (de primaria hic solum loquimur) ex copula unice aestimanda est ita, ut, si copula adfirmans sit, propositio adfirmativa, & si copula negans sit, propositio negativa habeatur. Ut vero copula negans esse censeatur, particula negativa eandem adficiat. Ubi adverte, in propositionibus complexis, de quibus infra dicetur, duplēm occurrere copulam principalem unam, alteram incidentem, sed principalem ratione qualitatis solum esse adtendendam.

§. 7.

Quantum interfit tam quantitatem quam qualitatem cuiusvis propositionis rite internoscere?

Multum sane interest tam quantitatem quam qualitatem cuiusvis propositionis rite internoscere. Etenim a qualitate primum pender propositionis resolutio aut copulativa scilicet aut disjunctiva, nec non praedicati subpositio *L. I. p. 2. Cap. 6. §. 16.* ejus item acceptio secundum comprehensio nem, sicut infra dicetur. Quae ad intelligendum propositionis sensum, ejusque qualitatem secundariam

riam veritatem scilicet aut falsitatem agnoscendam scitu plane necessaria sunt. Nec a quantitate minus propositionis veritas aut falsitas dependet. Ubi adverte, propositionem particularem conditione subiecto addita in universalem mutari posse.

Antequam ad reliquas propositionum divisiones transeamus, lubet hic paulisper sistere, & propositionum haec tenus definitarum regulas hermeneuticas ponere, ne pluribus divisionibus & regulis tyronum ingenia confundantur.

C A P U T II.

REGULAE QUAEDAM GENERALES PRO DIGNOSCENDA PROPOSITIO- NUM VERITATE.

§. I.

Regula I.

Primaria & maxime generalis, per quam an propositio vero sit, nec ne, discerni potest, regula censetur illa ex ipsa definitione propositionis verae desumpta ; si nempe objectum ita se habeat, ut propositio enuntiat, vera est ; si objectum aliter se habeat, falsa est propositio. Aliae igitur regulae vel ex hac desumuntur, vel propositionum sensum magis declarant, ut hoc declarato clarius possit intelligi, an objectum se ita habeat, an non. Unde, et si quaedam de veritate judiciorum jam dicta sint, quae non minus veritati propositionum, ut pote quae judicia enuntiant, convenient, restant tamen

tamen alia eisdem addenda, quae recepto in scholis
more hic addi solent, & tam iudiciis, quam pro-
positionibus adplicari possunt.

§. 2.

Regula II.

Potest eadem propositio in aliquo sensu esse vera, in
alio falsa. Ratio est, quia eadem propositio
saepe admittit diversos sensus & explicationes, quo-
rum unus potest esse conformis objecto, alter dif-
formis, ergo etiam propositio in uno sensu vera,
in altero falsa esse potest. Sic haec propositio Davi-
dis: *omnis homo mendax est*, vera est, si intelligatur
de Adae posteris in peccato conceptis & natis,
utpote qui omnes mentiri poterant, & possunt.
Falsa autem est, si comprehendit Deum hominem.
Item propositiones supra memorate: *Caeci vident,*
claudi ambulant, verae sunt in sensu diviso, falsae
vero in sensu composito, sicut negative contra
enuntiantes v. g. *nullus caecus videt*, *nullus claudus*
ambulat verae in sensu composito, in sensu diviso
falsae sunt. Unde liquet, quam ad dignoscendam
propositio veritatem verum ejus sensum nosse
omnino sit necesse, quem ex terminorum subpo-
sitione, caeterisque eorum affectionibus, ex quanti-
tate item & qualitate propositionis potissimum de-
sumendum esse, dictum jam fuit.

§. 3.

*An propositio duplarem habens sensum in uno sem-
per vera in altero falsa sit?*

Ex eo tamen, quod propositio duplarem habet
sensum, minime sequitur, eam in uno veram, in
altero

altero falsam esse oportere. Sic Sacrae scripturae sensus ab ejus interpretibus dividitur primo in genuinum & adcomodatiorum. Sensus genuinus ille est, quem solum Spiritus S. per verba S. Scripturae nobis insinuare voluit; adcomodatius contra, qui a Sp̄itu sancto non intentus, ab ingenio potius humano in sanctum finem adinventus est. Sensus genuinus ulterius dividitur in literalem & mysticum: sensus literalis est, quem Spiritus S. in Scriptura per verba primario atque immediate intendit. Et sensus mysticus, quem per verba tantum mediate, per res ipsae vero sive gestas, sive gerendas immediate designat, adeo, ut non jam verba, sed res ipsae per modum signi immediate in notitiam significati inducant. Sic dum in lib. Gen. venditio Josephi pro triginta argenteis a fratribus facta refertur: verba quidem hoc enarrant esse factum; ipsa vero res designat venditionem Christi a Iuda proditore, quem ceu Apostolum, & fratrem habuerat, factam. Sensus mysticus dividitur ulterius in allegoricum, tropologicum, & anagogicum pro diversitate rerum significatarum: si enim res spiritualiter indicatae ad fidem spectent, atque ad Ecclesiam Christi militantem, allegoricus, si ad mores referantur, moralis seu tropologicus, si demum ad res futuras seu sperandas, quo & resurrectione mortuorum & poena aeterna reducuntur, pertineant, sensus tum anagogicus dici consuevit. Pro exemplo vulgari adduci solet vox *Jerusalem*, quae literaliter civitatem in Palaestina, allegorice Ecclesiam Christi, tropologicē seu moraliter animam christianam, anagogice Patriam coelestem, seu aeternam beatitudinem designat. In omnibus tamen hisce sensibus veras esse sacrae scripturae propositiones, Christianus nullus ambigit. Ubi ad-

varte,

verte, vel profanos etiam scriptores in scriptis praefertim humanioribus talia aemulari.

§. 4.

Regula III.

Subjecto propositionis affirmativaे tribuitur praedictum secundum totam suam comprehensionem, hoc est, quoad omnes determinationes in notione praedicati comprehensas: subjecto tamen commensuratur praedicati extensio. E. G. hujus propositionis: *Plato est Philosophus*, praedicatum ita de Platone enuntiatur, ut quidquid notio *Philosophi* complectitur, Platonis vere tribuatur; ast non affirmantur illi homines omnes de Platone, qui nomen *Philosophi* participant. Ratio 1mi est: ut detur veritas propositionis, debet adesse vera connexio inter subjectum & praedicatum, & consequenter praedicatum debet quodammodo inesse subjecto, ergo etiam attributa praedicati debent inesse subjecto & simul affirmari de eo. Ratio 2di est: si extensio praedicati excederet subjectum, de subjecto affirmaretur, quod in eo non continetur, si vero extensio praedicati deficeret ab extensione subjecti, subjectum contineret aliqua, quibus praedicatum non conveniret, utrumque dici nequit, ergo praedicati extensio commensuranda est subjecto. Ita P. Haüßer.

§. 5.

Regula IV.

De subjecto negativae propositionis negatur praedicatum quoad totam extensionem: sed non quoad totam comprehensionem. Ratio 1mi est: per exten-

tensionem intelliguntur subjecta sub praedicato contenta, atqui ista omnia de subjecto negantur per propositionem negativam, ut patet in hac propositione: *Petrus non est lapis*, ubi *omnis lapis* de *Petro* negatur, ergo etiam de subjecto propositionis negativa negatur praedicatum secundum suam totam extensionem. Ratio 2di est: quia per comprehensionem intelliguntur attributa in notione illius praedicati necessario contenta, atqui illa non omnia negantur de subjecto, ergo etiam praedicatum non negatur de subjecto quoad totam comprehensionem: res in exemplo clarius patebit. Sit haec propositione negativa: *homo non est brutum*. In hac propositione omnia plane inferiora sub notione bruti contenta negantur de homine. Sed non omnia praedicata in notione bruti contenta per hanc de homine negantur. Nam v. g. in notione *bruti* continetur *animal*, *vivens*, *sensitivum*, *substancia*, atqui ista per hanc propositionem non negantur de *homine*, alias eo ipso propositione esset falsa, ergo etiam *brutum* non negatur de *homine* secundum totam comprehensionem.

§. 6.

Regula V.

Dropositiones affirmantes in materia necessaria semper sunt verae; negantes autem semper sunt falsae. Ratio est: illae propositiones, ut ex ante dictis constat, dicuntur in materia necessaria, quarum praedicatum necessarium habet connexionem cum subiecto, atqui per propositionem affirmantem in materia necessaria adfirmatur talis nexus, per propositionem vero negantem negatur talis convenientia,

ergo

ergo propositio adfirmans in materia necessaria debet esse necessario vera , negans vero debet esse necessario falsa. Sic haec propositio : *homo est substantia*, est necessario vera, hæc autem : *homo non est substantia*, necessario est falsa. Econtra in materia impossibili adfirmans est semper falsa; & negans est semper vera. Ratio est ferme eadem ac ante: in materia enim impossibili manifesta datur inconvenientia inter subjectum & praedicatum, consequenter, si adfirmetur praedicatum convenire subjecto , propositio necessario debet esse falsa, & si id negetur, debet esse vera ; uti si dico : *homo est lapis*, cum duo ista *homo* & *lapis* sibi convenire nequeant, propositio est falsa, si negetur hominem esse lapidem v. g. *homo non est lapis*, propositio est vera.

§. 7.

Regula VI.

Propositio adfirmativa in materia contingente ut sit vera, requirit 1mo identitatem inter rectum subjecti & praedicati , 2do utriusque existentiam pro tempore per verbum significato. Quodsi unum ex his requisitis non adlit , falsa censenda est propositio. E. g. Si dico : *Antichristus est impius* : propositio haec in rigore dialektico facit hunc sensum : & existit *Antichristus* , & existit *impius* , & *Antichristus est idem hic impius*. In qua propositione cum existentia Antichristi adfirmetur , quam tamen nondum dari subponimus , propositio falsa reputanda est; copula enim his in propositionibus sumi secundum statum dicitur. Quod adinbet obliquos subjectum vel praedicatum adficienes , debent illi ea quoque ratione existere , qua propositio eos

eos adfirmat, e. g. *Philosophus est doctus.* Si haec propositio ponatur vera, debet dari Philosophus, debet dari doctrina, & ista doctrina debet inesse Philosopho: nam propositiones adformativae in materia contingentia copulativa ad mentem Dialecticorum ista enuntiant.

§. 8.

Hic notanda.

Hic tamen notandum, intelligenda haec esse de propositionibus, quarum praedicatum nequit convenire subiecto nisi vere existenti, ut fieri amat, si praedicatur actio aut forma quaedam accidentalis &c. Alter dicendum, si praedicatum non exigit statum copulae. E. g. *Antichristus est cognitus*; haec propositio non adformat existentiam actualem, sed, ut ajunt, intentionalem; adeoque vera est.

Nota 2. Propositiones ejusmodi accidentales seu contingentes, quarum subjectum non existit juxta exigentiam copulae, vulgo dicuntur de subiecto non subponente, caeque falsae habentur: subponunt enim aliquem statum subiecti, quem istud non habet: Sic e. g. *Antichristus est impostor.* Haec propositio habenda est falsa; cum enim subjectum non existat, neque tale praedicatum illi convenire potest. Si tamen copula in talibus propositionibus dicatur sumi ampliative, ita ut in praecedenti *est* idem sit ac *erit*, verae dici possunt. Sic vera censetur ista: *Plato est Philosophus*, cum *est* hac in propositione idem sonet ac *fuit*.

§. 9.

Regula VII.

Propositio negativa in materia contingenti est vera, si vel sola identitas rectorum deficit, aut si non existat rectus vel obliquus pro tempore per copulam significato. Unde vera est v. g. haec propositio: *Antichristus non est doctus*; deest enim rectus subjecti; tales enim negativae propositiones faciunt hunc sensum disjunctivum: vel non existit Antichristus, vel non existit doctus, vel Antichristus non est illud ens doctum. Imo, si juxta regulas Dialecticae exponitur, vera est sequens etiam propositio, *Antichristus non est impius*: facit enim hunc sensum: vel non existit Antichristus, vel non existit impius, vel Antichristus non est ille impius; in qua resolutione disjunctiva, cum tantum unum membrum sit verum, tota propositio habetur vera.

§. 10.

Regula VIII.

Veritas propositionis in materia necessaria & in objectis creatis non requirit absolutam existentiam subjecti, sed sufficit conditionata. E. g. Haec propositio, *homo est substantia*, vera est, et si nullus homo etiam existeret; nam praedicatum continetur in subjecto pro omni statu, adeoque pro omni statu efferre illud licet. Ast negativae propositiones in materia necessaria semper falsae sunt, sive subjectum existat, sive non. Sic haec propositio: *homo non est substantia*, falsa est, sive existat homo, sive non: repugnat enim homini tam existenti quam possibili non esse substantiam.

Pariter

Pariter propositio affirmativa in materia impossibili semper falsa est , sive existat subjectum aut praedicatum , sive non . Sic v. g. haec propositio , homo est lapis , falsa est , sive existat homo , sive non . Econtra negativa vera est , sive existat reetus subjecti aut praedicati , sive non , dummodo semper illa in unum conjungi nequeant . Sic haec propositio , homo non est brutum , vera est , sive nullus homo existat , sive nullum brutum existat , est tamen & manet vera haec propositio .

§. II.

Regula IX.

Propositiones modales ut sint verae , requiritur veritas tum dicti , tum modi ; hoc est , ut praedicatum eo modo conveniat aut disconveniat subjecto , quo modo affirmatur aut negatur per propositionem . Sic vera est haec modalis : hominem esse substantiam est necesse . Econtra falsa est haec : contingens est hominem esse substantiam ; imo dictum quoque falsum esse potest , dummodo modus verus sit . Sic haec propositio : Deum non esse ens summe perfectum est impossibile , licet dictum sit falsum , cum tamen modus sit verus , vera est . Modales propositiones a pluribus revocantur ad complexas , de quibus nunc sequenti capite agendum .



C A P U T III.
DE PROPOSITIONIBUS COMPLEXIS.

§. I.

*Differentia inter propositionem complexam
& compositam.*

Priusquam progrediamur ad explicationem propositionum compositarum, observandum venit, quasdam videri compositas, cum tamen simplices sint; simplicitas enim propositionis desumitur ab unitate subjecti, & praedicati: sunt autem quaedam propositiones, quae unum tantum subjectum, unicunque praedicatum habent, sed quarum subjectum sive praedicatum terminus complexus est alias propositiones includens, quas incidentes vocare licet, quaeque pars tantum subjecti sive praedicati sunt, illis scilicet coniunctae per pronomen *qui*, cuius natura est plures propositiones concretere ita, ut in unum omnes coalescant. Sic cum Christus dicit: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, is regnum coelorum possidebit.* Subjectum hujus propositionis duas alias propositiones continet, cum duo verba habeat, quae vero per pronomen relativum *qui* coniunctae unius subjecti partes sunt. Cum autem dico: *bona & mala a Deo proveniunt*, vere duo subjecta sunt in hac propositione, quandoquidem de utrisque dicitur, quod a Deo proveniant. Prima igitur adhuc ad simplicem pertinet; veruntamen ad distinctionem a plane simplici complexa dicitur: altera vero composita est, utpote quae plura subjecta habet.

Pro-

Propositiones igitur complexae stricte compositae non sunt, eoquod propositiones aliis per pronomen *qui* immixtae vel imperfectae tantum propositiones sunt, prout ex dicendis adhuc patebit, vel considerantur non ut nunc factae, sed ut olim, quas proinde concipimus idearum instar. Hinc etiam perinde est, an has propositiones enuntiemus per nomina adjectiva, seu per participia sine omni verbo aut pronomine, an per verba & pronomina. Sic idem est dicere: *Deus invisibilis creavit mundum visibilem*, ac dicere: *Deus qui est invisibilis, creavit mundum, qui est visibilis*. Utrobique enim primario non adfirmatur Deum esse invisibilem, sed hoc pro prius adserto habentes adfirmamus Deum invisibilem mundum visibilem creasse; si vero dicerem Deum esse invisibilem & creasse mundum visibilem, evidens est, me utrumque adserere. Sic haec ultima composita esset, prior vero complexa est dicenda.

§. 2.

Quid ergo quotuplex sit propositio complexa?

Propositio igitur complexa dicitur illa, in qua habetur terminus complexus: quid vero sit terminus complexus *L. I. p. 2. Cap. 5. §. 3.* expositum fuit. Hinc tria statuuntur propositionum complexarum genera; vel enim complexio cadit in subjectum, id est, vel subjectum est terminus complexus, & dicitur propositio complexa ratione subjecti: qualis est haec: *Alexander, qui fuit Philippi filius, fuit nepos Amyntiae*, vel praedicatum est terminus complexus, & dicitur propositio complexa ratione praedicati, qualis est haec: *Petrus est logicus reliquorum doctissimus*, vel utrum-

que simul est terminus complexus, & dicitur propositio ex omni parte complexa, qualis est haec:
Paulus, qui fuit a Christo vocatus, fuit Apostolus prae reliquis ferventissimus.

§. 3.

De aliis propositionibus complexis.

Propositionibus complexis haec tenus recensitis aliud earum genus addit Purchotius; interdum enim, ait ille, non in subjectum duntaxat vel adtributum complexio cadit, sed quandoque etiam in ipsam adffirmationem, aut negationem, scilicet cum affirmationi aut negationi robur quoddam additur: sic ubi dico: *certum est terram esse rotundam*, non simpliciter adffirmo rotunditatem de terra, sed insuper addo, id certum esse: similes sunt hac quoque propositiones: *contendo, mentem humanam esse immortalem*; *sapientes docent, Deum esse colendum*; & omnes deum propositiones modales ad ejusmodi complexas pertinent, de quibus jam supra egimus.

§. 4.

De propositionibus incidentibus.

Obseruationes quaedam utiles hic praemittendae sunt de natura propositionum incidentium, quae partes sunt subjecti aut praedicati in propositionibus complexis.

I. Propositiones incidentes, si tamen propositiones dicendae sint, sunt illae, quarum subjectum est pronomen *qui*; ut si dico: *homines, qui sunt creati ad cognoscendum & amandum Deum*, sublato termino *homines*, quod residuum est, dicitur *propositio incidens.*

II.

II. In memoriam hic revocanda sunt, quae L. I.
 p. 2. Cap. 5. §. 4. advertimus circa terminum complexum: nimurum terminorum additamenta esse duplicitis generis: unum simpliciter explicativum vocari potest, cum additio nihil in notione termini immutat, sed tantum clarius exponit ipsam termini notionem. Tale additamentum est hoc: *homines*, qui sunt creati ad colendum Deum. Alterum quod determinativum adpellavimus, quia cum adjectus terminus non integræ nominis extensioni conveniat, illius significationem restringit ac determinat. v. g. *Homines qui sunt pii*; ubi additamentum *pii* determinativum est. An vero propositio incidentis sit mere explicativa, an vero determinativa, ex eo colligi posse dicit ars cogitandi, quando unum pronomen tolli potest ab incidente, illudque simpliciter affirmatur de subjecto adeo, ut vera maneat propositio, tunc additamentum explicativum esse; si vero hoc fieri non possit, tunc additamentum determinativum fore. Id exemplis clarius patebit. Sit haec propositio complexa: *omnis homo, qui facit voluntatem patris mei, qui in coelis est, regnum coelorum possidebit.* Duplex in hac complexa est incidentis. Prima est determinativa, nam si tollatur pronomen *qui*, propositio falsa evadit. v. g. *Omnis homo facit voluntatem Patris mei*, quod falsum est: altera est explicativa, poterat enim a Christo dici cum veritate: Pater meus in coelis est. His praenotatis

§. 5.

An falsitas incidentis oblit principalis propositioni?

Quaeritur, an falsitas incidentium possit obesse veritati propositionis principalis? ad quam

K 4 quae-

quaestionem respondet Auctor artis cogitandi: propositionis incidentis falsitatem ordinarie propositionis primariae veritatem non tollere, non vero satis exponit, quando eam tollat, & quando non. Hinc respondeo: falsitas propositionis incidentis tollit veritatem propositionis primariae, ubi praedicatum est ita cum incidente connexum, ut quasi causa sit, quare praedicatum subiecto conveniat, aut non conveniat; exemplo id declaratur: v. g. haec propositio: *Alexander, qui fuit Philippi filius, Persas superavit*: haec vera est, licet propositio incidens a variis in dubium vocetur. Praedicatum enim superans Persas nullam habet cum incidente connexionem. Econtra haec: *Alexander, qui fuit filius Philippi, fuit Amynthae nepos*: haec falsa redditur, si propositio incidens falsa sit; nam si filius Philippi non fuerit, neque nepos Amynthae, qui fuit Pater Philippi, esse potuit. Propositionis igitur principalis attributum nepos Amynthae cum incidente propositione est connexum, & convenit subiecto ratione incidentis; si igitur incidentis falsa sit, principalis quoque falsa sit, necesse est.

III. Titulis, quos quibusdam dignitatibus attribuere solemus, ii possunt cohonestari, qui in talibus sunt dignitatibus constituti, quamvis forte significant aliquid, quod iis minime conveniat. Sic quia olim Episcopi Sancti & Sanctissimi salutabantur, in colloquio Chartaginensi Episcopi Catholici non dubitarunt Donatistas sic compellare: *Sanctissimus Petilianus dixit*, quamvis notum illis satis esset, in Episcopum schismaticum non cadere sanctitatem. Sic etiam in actibus Apostolorum Paulus Festum Judaeae procuratorem *Optimum & Excellentissimum* dixit, quia ita procuratores ex usu

usu compellabantur. Eodem plane modo Ministri seu Praedicantes Lutherani & Calvinistae, eorumque Antistites & Superintendentes Reverendi & Reverendissimi dici possunt non secus ac sacerdotes nostri, licet a nostrac verac Religionis sacerdotibus multum differant, ne exacerbentur eorum animi.

IV. Aliter se se res habet, si quis proprio marte honorarium titulum procudat, eoque utatur ad alium decorandum ex propria opinione, erroreve populari. Quando itaque quis dicit: *Aristoteles, qui est Princeps philosophorum vel simpliciter: Aristoteles Princeps philosophorum adseruit nervos a corde originem ducere*, opponi jure non debet, hoc falsum esse, quia Aristoteles Princeps philosophorum non est, cum hoc nomine haec tenus in scholis fuerit adpellatus. Si quis vero diceret; *Purchotius philosophorum Princeps docuit, vacuum esse impossibile*, talis jure accusari posset, quod titulum proprio marte excogitatum Purchotio attribuerit, quem nullus haec tenus ei tribuere cogitavit.

§. 6.

De incidentibus determinativis.

Quod propositiones incidentes adtinet, quarum pronomen est determinativum seu restringens subjectum, quales sunt hae: *homines, qui sunt pii, sunt laude digni: Reges, qui subditos amant, &c.* Itae juxta artem cogitandi falsitatis capaces non sunt, eoque praedicatum propositionis incidentis de subjecto, ad quod pronomen refertur, neutquam adfirmetur. Si enim e. g. diccerem: *Judices qui nihil prece vel pretio statuunt,*

K 5 *dignos*

dignos esse laudibus, exinde nolo adfirmare , existere
revera judices , qui nihil prece vel pretio statuant.
Nunc ad aliud propositionum complexarum genus
contemplandum transeamus.

§. 7.

Praeter propositiones, quarum subjectum aut praedicatum terminus complexus est, aliae etiam, ut jam ante diximus, complexae sunt circa ipsam ad affirmationem aut negationem , quia illis interse- runtur termini vel propositiones incidentes , quae non terminum, sed ad affirmationem aut negationem per verbum *est* notatam adficiunt ; ut cum dico:
Ego contendo nullum dari vacuum in rerum natura:
Ego contendo dicitur propositio incidentis , parsque propositionis principalis; evidens tamen est, quod illa nec subjectum nec praedicatum adficiat , quia nihil in iis immurat. Imo eodem modo concipetur , si simpliciter diceretur : *nullum datur vacuum in rerum natura*, ac proinde propositio incidentis hic in solam ad affirmationem cadit ; quae duobus potest modis exprimi , vel per verbum *est* , ut ordinarie fit; vel per verba *adfero* , *contendo* , *rati- nes evincunt* , *verum est* , *certum est* &c. Circa ejusmodi propositiones

Observa 1. Accidit quandoque , ut propositio principalis ab incidente in ejusmodi enuntiationibus vix discerni queat. E. g. Si hanc propositi- onem proferam : *Omnis Philosophi scholastici docent, gravia corpora in terram sponte ac nullo impellente decidere* : vel scopus meus est adfirmare , quod gra- via corpora sponte in terram decidunt, & tum prior pars

pars: scilicet *omnes Philosophi scholasticci docent*, erit propositio incidens: vel volo tantum adserere, hanc sententiam defendi a scholasticis: & tunc altera pars propositio incidens habenda erit. Ut igitur rite dijudices, quaenam propositio principalis, quacunamve incidens habenda sit, scopum Authoris cognoscas, oportet. Et hunc ex antecedentibus, & consequentibus colligere poteris. Ut ejusmodi propositiones sint verae, requiritur, ut propositio principalis sit vera, & falsitas incidentis non nocet veritati propositionis principalis.

Observa 2. Inter propositiones complexas quarum copula, non vero subjectum aut praedicatum termino complexo adficitur, Philosophi haec tenus speciatim illas notarunt, quas modales dixerunt, quia adfirmatio vel negatio in iis modificatur aliquo quatuor modorum, qui sunt *necessum*, *impossibile*, *contingens*, *possibile*, de hisce jam supra egimus. Id hic addendum restat, propositiones modales, quarum modi sunt *necessum* aut *impossibile* v. g. *necessum est hominem esse substantiam*; *impossibile est hominem esse lapidem*, revocari ad universales, cum fere idem sit, ac dicere: *Omnis homo est animal*, *nullus homo est lapis*. Caeteras vero revocari ad particulares. Haec de propositionibus complexis sufficient; qui plura petit, legat artem cogitandi, ex qua plerique hic dicta desumimus.



C A P U T IV.
DE PROPOSITIONIBUS COM-
POSITIS.

§. I.

*Quotuplicis generis sint propositiones
compositae?*

Propositiones compositae dicuntur illae, in quibus plures reperiuntur simplices propositiones ad invicem connexae. Duo autem propositionum compositarum genera primaria ab omnibus statuuntur; vel enim earum compositio statim patet, & dicuntur explicite compositae. Qualis est haec: *Petrus ambulat, & Paulus studet*: vel earum compositio aliquantum latet, & dicuntur implicite compositae seu exponibiles. Qualis est haec: *Petrus tantum est musicus &c.* Circa haec

Nota. Copula alia dicitur verbalis, quae est verbum *sum*, subjectum cum praedicato conjungens; alia grammaticalis, quae particulis grammaticalibus significatur. Propositiones enim simplices, quibus constat composita propositio, non adfirmantur omnino disparate, sed cum aliqua connexione ad invicem, quae per copulam grammaticalem exprimitur. Particulæ autem ejusmodi grammaticales propositiones simplices conjungentes sunt: *&*, *nec*, *vel*, *si*, *quia*, & hæc vocantur copulæ principales respectu propositionum compositarum. Nunc de propositionibus explicite compositis.

§. 2.

§. 2.

De propositionibus explicite compositis.

Propositiones explicite compositae ab aliis plures, ab aliis pauciores recensentur. Nos cum pluribus saltem recentioribus sex admittendas putamus; quarum regulas hic simul ponimus. Sunt autem propositiones compositae vel copulativae, vel disjunctivae, vel causales, vel conditionales, vel relativae, vel denique discretivae.

§. 3.

De propositionibus copulativis.

Propositiones copulativae dicuntur illae, quae plura subiecta vel praedicata habent per conjunctionem adffirmativam &, vel per negativam nec connexa, e. g. *mors & vita in manibus linguae sunt*. Nec homo nec brutum est lapis. Harum propositionum tres solent distingui species. 1. Quando in iis occurruunt plura subiecta; uti *mors & vita in manibus linguae sunt*. 2. Quando plura occurruunt praedicata; uti *studiosus diligens satisfacit Deo & hominibus*. Et 3. quando plura subiecta & plura praedicata occurruunt; uti *Mathaeus & Joannes fuere Apostoli & Evangelistae*. Ejusmodi propositione in quatuor simplices resolvi potest.

Regula Hermeneutica pro hisce propositionibus est sequens. Ut propositio copulativa sit vera, requiritur ambarum propositionum veritas, & ubi una tantum pars falsa est, tota propositio habetur falsa. Sic falsa est haec: & fides & divitiae ad salutem aeternam necessaria sunt, cum divitiae non sint necessariae, & sic una pars sit falsa.

Ad

Ad has propositiones a quibusdam revocantur propositiones, ut dici solent, quantitativae, qualis est haec: *Petrus est tantus, quantus est Paulus.* Qualitativae v. g. *quale est meritum, talis est merces.* Temporales, in quibus tempus quoddam exprimitur: *quando Petrus studet, Paulus dormit,* & locales: *ubi est Petrus, ibi quoque est Paulus.* Ad quarum veritatem requiritur quidem, ut utraque propositio sit vera, nihilo tamen minus has potius ad relativas revocandas duco.

§. 4.

De disjunctivis.

Disjunctivae propositiones dicuntur duas aut plures propositiones per particulas *vel, aut, seu & his aequivalentes connexae:* v. g. *vel Petrus studet, vel ludit.* Alia disjunctiva dicitur proprie & stricte disjunctiva; in qua duas propositiones conjunguntur, quarum una, si ita se habeat, altera necessario debet esse falsa. Talis est haec propositio: *quodlibet est, vel non est.* Alia est minus proprie & stricte disjunctiva, in qua nempe duas aut plures propositiones per particulam *vel* conjunguntur, quarum utraque vel vera, vel falsa esse potest. Talis est haec: *vel Petrus studet, vel Paulus dormit.*

Ad propositionis disjunctivae proprie & stricte dictae veritatem requiritur, ut partes necessario sibi opponatur, nec possit dari inter illas medium. Sicque unum membrum necessario verum est, & alterum falsum. Ad propositionis minus stricte disjunctivae veritatem requiritur, ut saltem unum membrum sit verum, nec obest, si ambo sint vera,

Falsa

Falsa tamen foret, si nullum membrum verum esset; sic falsa est haec : *Judas vel est in coelo, vel in purgatorio, cum utrumque membrum falsum sit.*

§. 5.

De propositionibus conditionalibus.

Propositio conditionalis est illa , in qua plures propositiones simplices connectuntur per particulam *si* , *vel* , ut alii melius dicunt , in qua enuntiatur existentia objecti sub conditione expressa per particulam *si*. v. g. *Si Petrus studebit, erit doctus: si sol est, dies est.* Haec varie dividitur; sed antea

Advertendum est : propositio conditionalis includit duo, scilicet conditionem & conditionatum. Conditio vocatur hypothesis seu antecedens: conditionatum appellatur consequens , sive terminus. Sic hujus propositionis : *si petieris eleemosynam, dabo tibi, petitio eleemosynae est hypothesis, dabo tibi est terminus, seu conditionatum.* Conditio semper debet habere vel connexionem cum conditionato , vel saltem conducere ad illud ponendum ; & prout se varie habet conditio ad conditionatum, sic quoque

Propositio Conditionalis varie dividitur : primo alia est illativa , quando necessaria datur connexionio inter conditionem & conditionatum adeo, ut unum ex alio inferri possit. Quales sunt : *si sol est, dies est; si mortuus esset in peccato mortali, in aeternum damnatus esset. &c.* Alia dicitur enuntiativa , quando nimurum ex se non infert conditionatum, utilis tamen est , & conductit ad illud

illud ponendum ; seu etiam infert illud ratione promissionis , aut alterius accidentalis circumstantiae . Tales sunt haec propositiones : *Si Petrus audierit concionem , convertetur.* *Si cras fueris in schola , examinaberis . &c.*

Conditionalis illativa , prout ars cogitandi docet , ulterius dividitur in mediatam , & immediatam . Mediata est , quando nihil est in terminis , quod utramque partem conjungat ; uti : *si terra stat , sol movetur.* Haec consequentia quidem legitima est , sed non immediata . Ast si consequentia est immediata , oportet plerumque , ut utraque pars idem subjectum habeat ; e. g. *Si mors est transitus ad vitam meliorem , mors est expetibilis :* seu , ut utraque habeat idem praedicatum ; uti haec : *Si , quidquid Deus immittit , nobis debet esse charum , morbi nobis debent esse chari.* Seu praedicatum 1mae partis debet esse subjectum 2dae ; uti , *si poenitentia est virtus , quaedam virtus molesta est.* Vel denique oportet , ut subjectum 1mae partis sit praedicatum 2dae , quod fieri non potest , nisi 2da pars sit negativa : v. g. *Si omnes veri milites intrepidu animo hostes adgrediuntur , multi non sunt veri milites :* ita ars cogitandi .

Ad veritatem propositionis conditionalis non requiritur absoluta existentia conditionis aut conditionati , sed sufficit existentia conditionata , ita scilicet , ut si existeret conditio , etiam existeret conditionatum , & hinc vera est haec propositio : *si Judas fuisset mortuus poenitem , venisset in coelum , licet nec conditio , nec conditionatum sit unquam extitulum : imo , et si conditio sit impossibilis , tamen potest propositio conditionalis esse vera ; sicut haec : si mundus esset ab aeterno , non esset*

esset vera creatura , vera est , licet conditio sit impossibilis. Ad propositionem enim conditionalem requiritur tantum connexio inter conditionem & conditionatum , vi cuius connexionis posita conditione poneretur conditionatum. At si posita conditione non existeret conditionatum , tunc propositio esset falsa , uti est ista : *si Judas fuit Christi discipulus , fuit salvatus.*

§. 6.

De propositionibus causalibus.

Causales propositiones sunt illae , quarum partes quadam causali particula coniunctae sunt. Causales autem particulae sunt *quia*, *eo quod* &c. Tales causales propositiones sunt haec : *quia vidisti me , Thoma!* credidisti. *Rex fuit infelix , quia tali tempore natus.* &c. Pars prior vocatur causans , altera causata. Vis illa , qua pars causali particula affecta in causam influit , causalitas adpellatur.

Ad veritatem propositionis causalis requiritur non tantum , ut utraque ejus pars sit vera , sed & ut una sit causa veritatis alterius. E. g. vera est ista causalis : *dies est , quia sol adest* : nam sol vocatur causa diei. At non est vera ista : *Petrus currit , quia vestitus est* : nam licet currat , atque etiam sit vestitus , cum tamen vestis non sit causa cursus , haec propositio habetur falsa.

§. 7.

De relativis.

Relativa propositio dicitur , cuius membra habent relationem ad se invicem particulis relativis finiti-

L
gni-

gnificatam. v. g. *Qualis vita, talis mors.* *Eadem mensura, qua emensi fueritis, remetietur vobis.* Harum propositionum veritas a comparationis seu relationis adcuratione & bonitate dependet, haec quodcumque deficiat, propositio falsa evadit.

§. 8.

De propositionibus discretivis.

Discretivae propositiones dicuntur illae, quae varia judicia denotant, haecque varietas particulis adversantibus, *sed*, *verum*, *tamen*, aliisque similibus indicatur vel expressis, vel subintellectis. Tales sunt: *fortuna opes auferre, non animum potest*; *Petrus doctus est, sed non pius &c.* Veritas harum propositionum a veritate ambarum partium, discretionisque adhibitae pendet; quamvis enim utraque pars vera esset, absurdâ tamen foret propositio, si inter illas nulla intercederet oppositio.

Enumeratis nunc propositionibus explicitè compositis, & traditis insuper pro unaquaque regulis, per quas colligi possit, an vera sit, nec ne, nunc alias sensu compositas enumerare sequenti capite adgredimur.



CAPUT V.

DE PROPOSITIONIBUS SENSU COMPOSITIS.

§. 1.

Quot sunt propositiones sensu compositae?

Propositionum sensu compositarum sex communiter recensentur species, illaeque sunt sequentes. 1. Exclusivae. 2. Exceptivae. 3. Reduplicativae. 4. Comparativae. 5. Inceptivae. 6. Desinutivae, de quibus nunc, quantum fieri potest, breviter agendum.

§. 2.

De propositionibus exclusivis.

Propositiones exclusivae sunt, in quibus habentur propositiones simplices per particulam exclusivam *solus*, *tantum* &c. inter se connexae. v. g. Istae: *Solus Deus est super omnia amandus*. *Quas dederis, solas semper habebis opes*. Revocantur vero inter propositiones implicite seu sensu compositas, quia propositiones, quas complectitur propositio exclusiva, simplices non cuique statim patent.

Particulae vero exclusivae *solus*, *tantum* &c. interdum adficiunt subjectum, huicque soli praedicatum attribui significant, uti in hac propositione: *Solus Iosephus secundus est Imperator Romanus*.

nus. Interdum adficiunt praedicatum, hocque unum subiecto convenire denotant; uti *Petrus est tantum grammaticus.* An vero ejusmodi signa adficiant subiectum, an vero praedicatum, non raro dubium est; id tamen colligi potest vel ex ipsa particula, si sit adjectiva aut adverbium; adjectiva enim potissimum subiectum adficiunt, adverbia vero praedicatum. Haec tamen regula generalis non est, quandoque enim adverbia etiam subiectum adficiunt, ut si dico: *Petrus tantum fuit Princeps & supremum Apostolorum caput.* Quod idem est ac dicere: *solus Petrus fuit Princeps Apostolorum.* Hinc an particula exclusiva subiectum, an praedicatum adficiat, ex antecedentibus & consequentibus colligendum est: nec non ex hoc: si nempe propositio stante ejus veritate possit converti adeo, ut praedicatum generaliter seu secundum omnem suam extensionem sumtum fiat subiectum, tunc particula exclusiva videtur adficere subiectum: ut hanc propositionem *solus homo constat mente & corpore physice unitis possum convertere sequenti modo: omne constans mente & corpore physice unitis est homo.*

Ut ejusmodi propositiones sint verae, requiriatur, ut ambae simplices, in quas resolvi possunt, verae sint: hinc aliquo modo videntur coincidere cum propositione copulativa; haec enim proposicio: *Solus Deus est super omnia amandus*, sic resolvitur: *Deus est super omnia amandus, & nullus aliis est super omnia amandus.* Bene tamen advertendum est, an particula exclusiva subiectum, an praedicatum, an rectum, an obliquum adficiat; idque ex ipsa loquentis intentione colligi debet.

§. 3.

De propositionibus exceptivis.

Exceptivae, quae non adeo multum ab exclusivis differunt, sunt illae, in quibus aliquid de integrō subiecto adfirmatur excepto aliquo inferiorum ejusdem subiecti, addita exceptionis particula, qua significatur, illud, quod praedicatur, isti inferiori non convenire: ubi manifestum est, duo formari iudicia, ac proinde tales propositiones esse sensu compositas. E.g. si dicam: *nullae sectae antiquorum Philosophorum praeter platonicas agnoverunt Deum esse incorporeum.* Hic duo habentur: primo omnes antiquos Philosophos Deum credidisse corporeum: 2do Platonicos contrarium adseruisse.

Nota. Circa propositionem exceptivam tria requiri: 1mo ut vox *praeter* non idem significet ac *simil*, alias enim propositio non poterit dici proprie exceptiva. Sic non est exceptiva haec: *praeter Andream Petrus est cruci adfixus.* 2do. Id quod excipitur, contineri debet in termino universalī, a quo fit exceptio: unde inepta esset haec propositio: *Omnis homo praeter brutum est rationalis.* 3to. Terminus, a quo fit exceptio, debet esse universalis. Sic male dictum esset: *aliquis studiosus praeter Andream ambulat.*

Ut ejusmodi propositiones sint verae, utraque denuo propositio debet esse vera, tam illa, quae universaliter dicit praedicatum convenire, quam illa, quae dicit unum ab hoc termino universalī esse exceptum.

§. 4.

De propositionibus reduplicativis.

Reduplicativa dicuntur illae propositiones, in quibus per particulas reduplicativas, *ut, qua, in quantum &c.* designatur ratio, sub qua attributum conveniat aut repugnet subiecto: tales sunt: *Reges in quantum Reges soli Deo subsunt. Principibus ut potestatem a Deo habentibus est obediendum &c.* Hae propositiones in varias alias resolvi possunt. Prima sic resolvi potest: *Reges soli Deo subsunt, & ideo soli Deo subsunt, quia sunt Reges.* Hinc a quibusdam hae propositiones ad causales revocantur.

Ad veritatem harum propositionum requiritur utramque partem esse veram, & insuper unam esse alterius partis rationem; seu brevius: requiritur, ut praedicatum ea quoque ratione conveniat subiecto, sub qua nota reduplicativa indicat: sic v. g. haec propositio quorundam Lutheranorum falsa est: *Christus qua homo est ubique: esse enim ubique Christo non convenit ratione humanitatis.*

§. 5.

De comparativis.

Comparativae propositiones sunt, in quibus attributum secundum aliquem gradum de subiecto enuntiatur per comparisonem ad aliud, cui ipsum attributum jungitur. v. g.

Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit Moenia.

Ubi enuntiatur, illum esse fortem, qui fortissima moenia vincit, magis tamen esse fortem illum, qui

qui seipsum vincit. Disputari tamen hic potest: an necesse sit in ejusmodi propositionibus, ut positivum comparativi utrisque comparationis membris conveniat, an scilicet e. g. subponendum sit, duas res bonas esse, ut possimus dicere, alteram altera esse meliorem? respondetur, id quidem in rigore logico esse dicendum, veruntamen usus obtinuit, ut quandoque unum duntaxat membrorum, quandoque neutrum conveniat subiecto. Sic hac propositione: *melius est servire Deo, quam servire diabolo*, indicatur quidem *bonum esse servire Deo*, non tamen etiam *bonum esse servire diabolo*. Hac vero: *melius est habitare cum dracone, quam cum muliere litigiosa*, neutrum esse bonum significatur; sed solum exprimitur, *mulierem litigiosam esse pejorem dracone*. Qui quoque comparandi modus tam in Scriptura, quam in sanctis Patribus non raro deprehenditur. Ut bene observat P. Opfermann *Parte 2. Logices §. CLXIX.*

§. 6.

De inceptivis & desitivis.

Propositiones inceptivae dicuntur illae, quarum objectum nondum est, incipit tamen esse v. g.: *Juventus otio diffluere incipit*. Hae inter sensu compositas referuntur, eoquod duo judicia contineant, unum de eo, quod erat ante tempus, de quo loquimur, alterum de eo, quod fit illo tempore. Desitivae sunt, quarum objectum enuntiatur desinere. E. g. *Lingua latina desit esse vulgaris*. Haec propositionum modicus est usus. Hinc etiam, quid ad veritatem earum requiratur, hic supersedemus memorare, cum ex earum notione & usu fas sit pateat.

Nota. Hae sunt sex propositionum sensu compositarum species, quibus alias adhuc sensu aequo compositas adnecti posse censet clarissimus Corsini. Ut hanc: *Cicero romanæ reipublicæ tranquillitatem restituit*, sensu compositam dicit, cum simul enuntiet, *romanam rempublicam antea fuisse perturbatam*. Item ubi dico: *Julianus Imperator Christianam Religionem deseruit*: inferri facile poterit, *ipsum Christianæ Religioni prius fuisse addiditum*. At quidquid sit de ejusmodi propositionibus, ego easdem ad inceptivas aut desitivas revocari posse, aut saltem quandam cum iis similitudinem habere censeo. Nunc ad ipsas propositionum ad se invicem relatarum affectiones.

CAPUT VI.

DE PROPOSITIONIBUS OPPOSITIS ET AEQUIPOLLENTIBUS.

§. I.

Divisio propositionum in oppositas & aequipollentes.

Propositionum proprietates, quas hactenus ex-pendimus, absolute sunt seu tales, quae propositionibus seorsim & sine aliquo unius ad aliam respectu consideratis competunt: sed nunc eas porro perpendimus, quae propositionibus ad invicem relatis competit, quasque relatives ideo dicere licebit. Dividuntur autem propositiones, in quantum ad invicem relatae sunt, in oppositas & aequipollentes.

§. 2.

§. 2.

Propositiones oppositae quid sint?

In definitione oppositarum non consentiunt Auctores. Oppositas quidam ita definiunt, ut definitio solis conveniat contradictoriis, cum illas esse ajunt duas propositiones, quarum una praecise negat, quod altera adfirmat. Aliter adhuc alii easdem declarant. At nos tritae scholarum viae insistentes oppositas exponimus, quod sint propositiones duae idem subjectum & praedicatum commune habentes, pugnantes vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utraque simul.

§. 3.

Quot sint propositionum oppositarum species?

Quatuor itaque oppositarum species diversae jure admittuntur, *contrariae* scilicet seu duae propositiones universales pugnantes in qualitate, *subcontrariae* seu duae propositiones particulares pugnantes in qualitate, *subalternae* seu duae propositiones, quarum aut urraqe adfirmativa est, vel ambae sunt negativae, universalis una, altera particularis est, & ita in sola quantitate pugnant, & tandem *contradictoriae*, quae tam in quantitate quam qualitate pugnant, & quarum una praecise tantum dicit, quantum requiritur ad alteram refellendam.

§. 4.

Divisio propositionum oppositarum in oppositas de modo & de lege tales.

Propositiones oppositae ex more in scholis recepto in oppositas de modo & de lege tales divi-

L 5 duntur,

duntur. Opposita de modo tales sunt, quales haec tenus descripsimus, propositiones scilicet de subiecto communis caetera ad oppositas requisita habentes. Ad oppositas de lege tales revocantur propositiones de subiecto singulari, complexae ex parte copulae seu modales & compositae, quatenus sibi opponuntur. Vocantur autem oppositae de lege tales, quia oppositarum leges in illis observantur: quod ex mox dicendis melius patet.

§. 5.

Oppositarum leges.

Oppositarum vero leges sunt sequentes: *contradicторiae* nec simul verae, nec simul falsae esse possunt. *Contrariae* nunquam simul verae, in materia tamen contingentia possunt esse simul falsae. *Subcontrariae* non possunt esse simul verae, possunt tamen esse simul falsae in materia scilicet contingentia. *Subalternae* tandem his legibus diriguntur; ex veritate *subalternantis* seu *universalis* sequitur veritas *subalternatae* seu *particularis*, & ex falsitate *subalternatae* sequitur falsitas *subalternantis*.

§. 6.

Dictae oppositarum leges certae sunt & infallibilis.

Et istae quidem leges omnes sunt ejusmodi, ut ad principium contradictionis facile reduci queant ita, ut quoties ex his regulis una possit fallere, idem sequatur esse & non esse: quod in lege contradicторiarum omnino manifestum est, & in aliis haud difficile ostenditur; praelectionibus tamen

men idipsum reservamus. Unde constat, oppositarum leges omnes certas esse & infallibiles.

§. 7.

Oppositarum diversarum proprietates.

Propositionum oppositarum diversarum proprietates sunt, quod contrariarum una plus, subcontrariarum vero una minus, & contradictiorum tandem una praecise tantum dicat, quantum requiritur ad aliam refellendam. Subalternae stricte oppositae non sunt.

§. 8.


Ad quid conferat has oppositarum proprietates nosse?

Has autem oppositarum proprietates nosse multum confert ad facile ponendas propositiones quascunque oppositas, praesertim de lege tales, quales ponere difficultatem non raro parit tyronibus: quibus ut laborem reddamus faciliorem; sequentia oppositarum schemata hic exhibemus, unum scilicet oppositarum de modo, caetera de lege talium.

SCHEMA

SCHEMA
OPPOSITARUM DE MODO.


*Omnis homo CONTRARIAE Nullus homo
salvabitur. salvabitur.*



*Aliquis homo SUBCONTRAR. Aliquis homo
salvabitur. non salvabitur.*

SCHEMA
OPPOSITARUM MODALIUM.

*Necesse est CONTRARIAE Impossibile est
bominem currere. bominem currere.*



*Possibile est SUBCONTRARIAE Non est necesse
bominem currere. bominem currere.*

§. 9.

Qstenditur oppositas has modales oppositarum proprietates legesque vere observare.

Atque modalibus sic dispositis, quodsi illas paulo adcuratius examinaveris, proprietates oppositarum inesse, earumque leges in illis observari, facile deprehendes, quod, ne circa haec nimii esse videamur, de contrariis solum ostendimus. Contrariarum proprietas est, ut earum una plus dicat, quam requiritur ad refellendam alteram, & quis ambiget, proprietatem hanc modalibus sic dispositis inesse? nonne enim ad refellendam adfirmativam *necesse est hominem currere* jam suffecisset dicere, *non est necesse hominem currere?* & nonne etiam manifestum est, plus dici, si dicatur: *impossibile est hominem currere*, quam si dicatur: *non est necesse hominem currere?* Propositiones porro istae tales sunt, ut nunquam possint simul esse verae, imo ambae contra utpote in materia contingenti intelliguntur esse falsae &c.

§. 10.

Notandum circa oppositas modales.


Circa propositiones oppositas modales id adhuc adverte, quod in modalibus nil nisi modus debat mutari. Sic huic propositioni: *necesse est omnem hominem currere*, ita debet contradici: *non est necesse omnem hominem currere* non autem ita: *non est necesse aliquem hominem currere*: quod de reliquis oppositarum speciebus pariter notandum.

SCHEMA

SCHEMA
OPPOSITARUM COMPOSITARUM.
CONTRARIAE

*Et Petrus est
doctus, & Paulus
est doctus.*

*Nec Petrus est
doctus, nec Paulus
est doctus.*



SUBCONTRARIAE

*Vel Petrus est
doctus, vel Paulus
est doctus.*

*Vel Petrus non est
doctus, vel Paulus
non est doctus.*

§. II.

Propositiones aequipollentes quid sint?

Propositiones aequipollentes sunt, quae sub vocibus variis, aut varie saltem positis eundem habent sensum. Ejusmodi propositiones sunt v.g. *Pater amat me, ego amor a Patre, Pater amore me prosequitur &c.*

§. IZ.

§. 12.

*De aequipollentia & conversione quemadmodum
in scholis usitatae sunt.*

Propositiones vero licet variis modis fieri possint aequipollentes, ex his duo tamen in scholis prae aliis erant famosi, aequipollentia scilicet & conversione. Aequipollentiam dicebant reductionem duarum propositionum oppositarum ad eundem sensum ope particulae non: ejusque regulas hoc carmine mutilatis vocibus *Prae contradicit. post contrar. prae postque subaltern.* complectebantur. Conversionem adpellabant eum modum, quo propositionis terminos invertendo, subjectum scilicet in praedicatum, & praedicatum in subjectum commutando propositiones fiunt aequipollentes. Achius porro regulas sequenti versu comprehendebant: *fEc I simpliciter, convertitur Ev A per accid.* Quorum expositionem praelationibus reservamus.

§. 13.

*Usus hujus de oppositis & aequipollentibus
doctrinae.*

Et quanquam negari non possit, hanc de oppositis & aequipollentibus doctrinam usum habere, utpote cum consequentiam, ut ajunt, simplicem fundent, quatenus scilicet ab una vera aut falsa ad veritatem aut falsitatem alterius licet concludere; is tamen momenti tam gravis esse nobis non videtur, ut tanta de his contentione disputetur, quanta id in scholis fieri confuevit.

CAPUT

C A P U T VII.
DE METHODICIS PROPOSITIONUM
DENOMINATIONIBUS.

§. 1.

Propositiones demum, quatenus in systemate adhiberi, securitate methodi considerari solent varie denominantur: atque sic primo loco veniunt definitiones, exinde axiomata & postulata, haec theorematum & problematum subsequuntur, quibus corollaria tandem & scholia subnectuntur.

§. 2.

Quid propositio theoretica? quid practica?

Prius tamen, quam ad exponendas horum notiones transeamus, duo alia propositionum nomina declaramus, propositionis theoreticae scilicet & practicae. Propositio theoretica vocatur, quae praedicatum subjecto con- aut disconvenire enuntiat. Practica dicitur, quae aliquid faciendum docet, vel modum, quo quid factum est, aut fieri saltem potest, describit.

§. 3.

Quid definitio?

Definitio est propositio, in qua de definito praedicatur definitio, primumque demonstrandi principium esse communiter dicitur, utpote cum ex definitione demum deduci debeat, quidquid aliqui aut convenit, aut convenire saltem potest.

§. 4.

§. 4.

Quid Axiomata? quid postulata?

Axioma propositio theoretica est, practica est postulatum. Axiomata & postulata propositiones vocantur indemonstrabiles, quatenus scilicet demonstratione non indigent ad perspiciendam earum veritatem; aut quia ex unica statim definitione fluunt, sicut ajunt alii; aut quia earum veritas cuilibet terminos intelligenti continuo innoteat, quemadmodum id alii exponunt; quae in idem tamen pene coincidunt. Axiomata & postulata inter demonstrandi principia jure recensentur.

§. 5.

De Axiomatibus scholasticorum.

Scholastici quoque sua decantabant axiomata; quae tamen nil minus erant quam vera axiomata: etenim propositiones plerumque erant terminis obscuris, ambiguisque seu aequivocis, quarumque veritate nihil incertius, quas tamen ceu veras certasque gratuito ac sine ratione adsumebant.

§. 6.

Quid theorema? quid problema?

Theorematum propositionibus theoreticis, practicis problemata adnumerantur. Et tam theorematum quam problemata propositiones vocantur demonstrabiles, quatenus nimirum vel ex pluribus solum definitionibus deducuntur, vel, quod vere idem est, ut de earum veritate constet, debent demonstrari.

§. 7.

Quid corollaria seu consequaria?

Corollaria seu consequaria , quemadmodum jam ipsa vox sat prodere videtur , propositiones sunt , quae ex axiōmatibus & postulatis , vel ex theorematibus etiam & problematibus antecedenter tamen demonstratis per legitimam consequentiam derivantur .

§. 8.

Quid scholia?

Scho'ia dicuntur ejusmodi propositiones , in quibus vel obscura declarantur , vel ad dubia respondetur , vel usus doctrinae indicatur , aut historia , vel fontes inventorum enarrantur , aut denique nonnulla lectori monita suppeditantur .

§. 9.

Hic notanda.

Ubi adverte , quod , licet Mathematici has propositionum species seu methodo , quam vocant , suae proprias vindicent , eae tamen in aliis quibusvis scientiis debito ordine pertractatis aequre occurrant , quamvis in aliis non ita , sicut in mathematicis , semper exprimantur .



LIBER